

9319. 1781, 4.

DE
LEGISLATIONIS
ORIGINE ET NATVRA

ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
CHRISTIANO GOTTLLOB EINERTO

I. V. D. ORDINISQUE TVM ICTORVM TVM SENATORII IN
HAC VRBE ASSESSORE

A. D. X. MAII cIɔIɔCCLXXXI

D I S P U T A B I T

A V C T O R

CHRISTIANVS IACOBVS EISENSTVCK

ANNABERGENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LOEPERIA



14
SACRAE LITURGIAE
ANTONIUS PAULUS
CENSOR
TYPIS
M. V. M. C. M. X.
BOSTONIENSIS
OTTO
CHRISTIANUS ALBRECHT



P R A E F A T I O.

Constitueram quidem neque de argumenti, quod tractandum elegi, utilitate aut praestantia multa praedicare, neque de eius difficultate, ingenii vero mei tenuitate viriumque imbecillitate conqueri, ne eiusmodi excusationibus iudices meos lectoresque quasi corrumpere velle viderer, quos me haud minus tamen aequos et indulgentes nocturum esse spero; nec illud anxie ac prolixe declarandum putabam, me has plagulas non orbi literario destinasse, sed paucis tantum, quibus forte, ut eas perlegerent, officii vel humanitatis ratio suadere posset, non famae et posteritati, sed paucarum tantum horarum colloquio et post

A 2

hoc



hoc obliuioni, haec omnia etiam absque meis praesagiis ita
euentura ratus. Nolebam enim omnino praefari quidquam
de me ipso, quod vel mihi ipsi graue est ac molestum.
Cur tamen non sine onni praemonitione hunc libellum
emittendum censerem, atque ita contra eam, quam mihi
ab initio scripseram, legem impingerem, duae potissimum
erant, quae me mouerent, caussae. Primum enim tam
solemne esse cognoui et quasi proprium iuuenili aetati, vt
mirifice amet, quantum fieri potest, saepissime loqui de
se ipsa, vt mallem in huius vitii, quod tam facile illi aetati
ignosci video, notam incurrere, quam in aliud illi fere
oppositum incidere, quod non tam commune, quam
proprium quodammodo fuisset, et de quo ob id ipsum eo
gravius potuisse reprehendi, vt nimirum de me ipso prorsus
silerem atque ita quasi vltra aetatem meam sapere velle et
vel noui quidquam aut insoliti faciendi studium, vel nescio
quam falsam et valde ridiculam modestiam affectare viderer,
quorum vtrumque diligentissime fugiendum semper existi-
maui. Deinde quoque vere necessarium aut consultum
certe mihi videbatur praemonere paucis lectorem, quid ei
ab hac scriptione sit exspectandum quidque ipse de ea sen-
tiam. Hic quidem me, si quem alium, haud fugit, in o-
mnibus,

mnibus, quae publici iuris sunt, scriptis vel noua esse di-
 cenda, vel res notas iam antea ac cognitas noua saltem me-
 thodo esse enunciandas; horum si neutrum in iis depre-
 hendatur, ea supprimi, quam edi, semper esse consultius.
 Verum non minus constat ad hunc quasi lapidem Lydium
 exigi non posse dissertationes academicas iuuenili studio
 exaratas (nam de virorum magnorum et doctorum scriptis,
 quae sub ista inscriptione prodeunt, non loquor) et vel
 ingenii modo exercitandi, interdum etiam ostentandi cau-
 sa, vel hunc tantum in finem (atque ita de hacce mea iudi-
 cari velim) scriptas, vt adsit, de quo publice disceptetur
 et sic maiorum institutis satisfiat. Ab earum enim auctori-
 bus noua ne exspectabit quidem quispiam, neque ex earum
 lectione fructus in se redundaturos seque doctiorem ab ea
 discessurum sperabit. Quod vero ad ipsum, de quo non
 nulla commentari institui, argumentum attinet, neminem,
 me vero sane minime omnium, id sibi arrogaturum scio,
 vt se noui quidquam in eo vidisse existimet, in quo elabo-
 rando iam tot tantique viri operam suam studiumque collo-
 cauerint. Hac igitur ex parte nullam scio huic libello com-
 mendationem esse quaerendam. Evidem ita potius in hac
 materia tractanda volui versari, vt ostenderem, eam, quam-



vis prima fronte videatur difficillima, breuiter tamen, nec tam difficultate adeo negotio ita posse expediri, vt primas illas notiones, vt iusti, aequalitatis naturalis, legis cert. quibus, vt in omnibus disciplinis, ita et hic conficiuntur omnia, et quae viae ad reliqua parandae mirifice inseruiunt, quantum fieri potest, diligenter eruere et accurate definire studiamus. In quo si usquam a veritate, quam studiofissime indagare semper duxi negotium homine dignissimum, deflexi aut plane aberraui, spero fore, vt viri docti, quorum examini haec commentatio est subiicienda, me quoquis modo corrigant et in rectam viam reducant, quod gratissima mente accipiam. Me vero ut dies et exercitatio mox meliora doceant, in votis habeo sanctissimis. Ceterum, quod et antea noram, id per hanc in primis occasionem confirmatum sensi, quod iuuenes, quorum legere tantum est et audire, nihil magis dedebeat, quam scribere et scriptaullo modo vulgare: quare ego ne ad hoc quidem quidquid est scriptoris, unquam, nisi necessitate urgente, manum eram admoturus. Haec de me ac de instituto meo dicta sunt. Quibus praemissis ad rem ipsam, non retractandam quidem, nam hoc in mentem mihi iam venire non poterat, sed nonnulla tantum de ea commentanda accedo.

§. 1.

§. I.

Hominibus in societas, licet legibus ciuilibus non-dum munitas, coëuntibus non potest non quotidie oboriri necessitas disquirendi, quae sint singulorum inter ipsos iura, quae obligationes, quid cuius a reliquis sit exspectandum, quid a quo quis reliquis praestandum? Velut si quis quid apprehendit atque corporis sui viribus tuerit, alteri, qui eandem rem sibi habere cupit, num eam illi eripere liceat, erit quaerendum; aut, si cui quid ab altero promissum sit, num possit promissi præstationem exigere et quovis modo obtinere,



obtinere, h. e. quid iustum sit? quid iniustum? Quod ut
explorare possit et inuenire homo, ratione, quae ipsi hunc
in finem data est, ut non modo, quid honestum sit, quid
inhonestum? quid vtile, quid minus? sed et quid iustum?
quid iniustum? sciat, vtatur necesse est. Iam si nostra ra-
tio talis esset et tam infinita, qualis est diuina, posset ea in
quacumque re et occasione, quid faciendum sit seu pree-
standum, faciliter videre negotio, nec vlla opus haberet per-
petua et constanti agendi norma. Ea enim videtur esse
diuini numinis ratio, si quid in hisce videte velle fas est,
ut id nullas sequatur agendi normas legesue, quarum, ut in-
fra videbimus, notio a diuina maiestate quam maxime ab-
horret nec nisi homini potest esse propria. Verum longe
alia est humanae rationis natura. Est ea enim vel per se
diuina longe inferior deteriorque, vel si statuamus, eam,
si non aequalem esse diuinae, tamen eidem quam proxime
accedere, neque tamen totam suam vim in hac vita ex fa-
pienti creatoris oeconomia exserere potest, cum corporis
quasi carceri inclusa sit eiusque infirmitibus et imbecillita-
tibus variis modis impedita. Vtricunque demum assentia-
ris sententiae, res eodem redit, nempe homines, si pree-
fertim eorum alios aliis ingenii animique dotibus deteriores

est

■ ■ ■

esse species, non ea esse natura, vt, si etiam ab eo, quod
animi perturbationibus saepe abripiantur, discesseris, pos-
sint in quavis specie obueniente, quid aliis praestandum,
quid ab aliis exigendum, h. e. quid iustum, quid iniustum
sit? videre: de imperfectis enim sive internis obligationi-
bus, quas vocamus et a perfectis seu externis, haud scio an
satis accurate et ad rei naturam apposite, distinguimus,
sermonem hic nobis non esse, vnuquisque videt.

§. 2.

Quae cum ita sint, facile apparet, homines, si, quo-
tiescumque de iusto et iniusto quaeritur, rationis atque sen-
sus interni dictaminibus obtemperent et secundum ea agant,
non posse non quam saepissime agere minus recte, h. e.
contra finem, ob quem in hac terra sunt constituti, qui
nempe est maxima humani generis felicitas. Verum paullo
vberius haec omnia erunt explicanda. Evidem ita rem te-
neo. Primum nihil obstat, quin eiusmodi nobis mente ef-
fingamus hominum statum, in quo extra omnem societa-
tem positi vel plane nullo, vel nudi sermonis tantum et col-
loquii commercio inter se vrantur. Ibi neque iura neque
obligationes in eos possunt cadere, quum non adsint, in

B

quos



quos possint exerceri. Is tamen hominum status, si unquam exstitit, nullibi diu potuit obtainere, quum, si vel maxime ab aliis, quae homines in societates cogere poterant, causis discesseris, physicus, quo homines ad sobolem procreandam feruntur, impulsus vel solus ad arctiora vincula inter ipsos negetenda potuerit sufficere; quem equidem in eo propemodum sum, ut credam primis illis ac ruidoribus hominum societatibus primum et maxime omnium locum dedisse: neque prosector alio modo magis et diuinae et humanae dignitati consuli posse puto, quam si dicas, eundem finem, qui suberat in huius terrarum orbis creatione, nimirum, ut quam plurimi exsisterent ac procrearentur homines felicitatis capaces, eundem, inquam, etiam humarum societatum fuisse finem, eademque media, quae natura hominibus indidit ad procreationem, fuisse etiam media efficiendarum societatum,

§. 3.

Is autem, quem modo descripsi, hominum segregatum quasi viuentium status ad nos hic non pertinet. Ad alium igitur, quem frequentius inter eos obtainere videmus, deueniamus; cum nempe, ubi homines vel per illum ad solem

❧

bolem procreandam impulsum, vel vlo alio modo arctius
firmiusque inuicem iunguntur atque ita societatem a) quan-
dam efficiunt, ita vt ad maiorem vitae commoditatem ac
iucunditatem de variis rebus inter se paciscantur. Exem-
plum rem illustret. Quidam corporis sui viribus apprehen-
dit feras seu pisces, quibus ad victum vtatur: aliis ligna
caedit, quibus tugurium sibi exstruat. Ille, vel quia cor-
poris vires ad eum laborem subeundum ipsi haud sufficiunt,
vel quia venatione et pescatione magis delectatur quam
lignis caedendis, hunc adit et: „Vis tu, inquit, quia
„ligna caedere melius didicisti, quam ego, at contra v. c.
„instrumentis ad venandum pescandumue necessariis haud
„satis es instructus, vt ego tibi certum dem ferarum pi-
„sciumue numerum, quibus ad vitam sustentandam vtaris,
„tu mihi contra des certam lignorum copiam quibus me
„ab coeli iniuriis possim tueri? Ita vtrique nostrum melius
„erit consultum, quam si ego haberem quidem, quod ede-
„rem, at ventis et tempestatibus esse expositus, tu vero
„ab his quidem incommodis esseces securus, sed esurires.“

B 2

Placet

a) De societate rite constituta ac legibus ciuilibus instruata hic sermo-
nem nondum esse, vix monendum puto.



Placet alteri conditio et ait se consentire in id quod ille proposuerat. En pactum! Quorum innumera ex variis generibus adferri possent exempla, nisi et hoc vnum ad rem per se haud difficultem illustrandum sufficere putarem, et nossem, ac vel modo sensissim, eiusmodi exempla, praesertim crebriora, et scribenti et legenti molesta videri posse, non nullis etiam ridicula.

§. 4.

Satis iam me exposuisse puto, de quo hominum statu loquar, de eo scilicet, quem *naturalem* appellare consueuimus. In eo autem viuentibus, quid iustum, quid iniustum sit? quotidie erit disquirendum. Iam vero illa nobis incidit quaestio, quomodo homines isto modo degentes possint iustum ab iniusto rite discernere, et, quid reliquis praestantum sit, videre. Enimuero quum irrita plerumque esse soleat et inutilis omnis omnium rerum disquisitionis, nisi ante primae illae, quibus omnis ntitur cognitio, notiones explicitae fuerint et erutae; hoc loco quid sit *ratio iustum*, erit videndum. Res breuiter ita esseri poterit. *Bonum* est quocunque humanae felicitati *directive* inseruit. Directe, inquam; indirecte enim, de quo dudum conuenit interphiloso-

philosophos, omnes hominum actiones atque omne id,
 quod sit et existit, quantumuis in se malum ac turpe, quo-
 dammodo tamen bonum potest dici, quippe ad vniuersi
 oeconomiam spectans et ad magnum illum, quem modo
 dixi, ac communem finem conspirans. Nobis hic de priori
 tantum boni specie sermo est. Iam vero bonum distinguen-
 dum mihi videtur in id, sine quo humana societas, tan-
 quam maxima et potissima humanae felicitatis species, im-
 mo largissimus eiusdem sons, consistere et plane cogitari
 nequit, et id, quod augendas quidem et singulorum et so-
 cietatis felicitati inferuit, sine quo tamen humana societas
 cogitari potest. Hoc modo *vtile*, modo *honestum*, modo
pulcrum; illud *iustum* vocamus. Ita nobilissima iusti species
 est fides pactorum. Vnde vero et quomodo intelliget
 homo, quid iustum sit? In promptu est consulendam ipsi esse
 rationem, quod haec suadeat, faciendum, quod dissuadeat,
 omnittendum. At rectene semper et iuste aget et agere po-
 terit, si rationi quisque suae obtemperauerit? Id eum non
 posse, et aliquoties iam monui, et ut moneretur, vix opus
 erat, quum id et ratione doceremur et vsu. Iam vero fue-
 runt, qui de iure naturae tradituri effingerent leges qua-
 dam naturales sive principia iuris naturae, quae ita dicent

B 3

ab



ab hominibus esse obseruanda, vt ea in agendo vbiuis sequantur. Varji quidem, vt inter omnes constat, varia excogitarunt, quae hic omnia recensere non attinet; ex quibus vero omnibus officia perfecta facili negotio uno eodemque fere modo potuerunt deriuari. Id enim semper contingere videoas, si quis primum systema quoddam ante oculos habeat, ac deinde ex eo demum principia quaedam abstrahat, tum ex his singulas illius partes probet, eum necessario ex istis principiis probare posse, quocunque velit. Et quidni? Scilicet, quod ex suo systemate depromserat, id ei rursus infert, quo nihil potest esse facilius. Ita et iij fere, qui iuris naturalis construxerunt principia. Vere enim construxisse dicendi sunt, qui inuerso ordine ex suis systematibus eiusmodi principia deriuarunt, ex quibus omnia illorum capita rite possent probari, quod iis nunquam non ex animi sententia potuit succedere: quum potius, nulla doctrinae ratione habita, debuissent ipsam hominis et humanae rationis naturam diligentius indagare, et ex iis demum, quae in ipsa ea natura inuenientur, singulorum iurium et obligationum doctrinam deriuare. Ast quid si dicamus, hisce principiis ac legibus naturalibus plane opus non esse? qua de re vberius exponere operae pretium erit.

§. 5.

§. 5.

In eo quidem vix quemquam habere possum dissentientem, illas, quas vocant, leges naturales non ex iuris naturae systematibus b), sed ex ipsa hominis natura esse deducendas. Quaeramus eas igitur, vbi quaerendae sunt. Vnde dicamus eas habere homines? An innatae ipsis sunt? Ideas innatas post Lockium c) credere, sane religio videtur. Adeo, quod, si innata esset homini illa quacumque lex naturalis, non possent esse tam variae omnium de ea opiniones. Vnde ergo? Ad hoc quod respondeam, non habeo. An

id

b) H. e. Ambitu omnium iurium naturalium, quae, si obserues homines in statu naturali viventes, ab iis videoas exerceri. Si quis vero ea obseruans viderit v. c. homines semper id agere, ut se ipsis converuent, sive, ut socialitatem colant, sive, ut alteri non faciant, quod ipsis sibi fieri nolint; et tum iuris naturae principium ponat: Conserua te ipsum; aut: Cole socialitatem; aut: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; atque ex ipsis principiis singula iuris naturalis capita deriuunt: eum aio systemati suo inserre, quod ex eo, h. e. ex illis, quas sola experientia duce, nec indagata ipsa hominis natura, congefferat, obseruationibus antea depromserat.

c) Vid Essay on human Understanding. Book I. Chapt. 2. 3, cui loco resistere vix possis, etiam si legas animo resistendi,



id volumus appellare legem seu principium iuris naturae,
 quod hominis corpus ita formatum sit, vt, si id aggredia-
 ris, resistat, quantum potest, atque hoc si faciat, dicere,
 eum legem naturalem sequi? At tum et ex lege naturae fieri,
 dicendum erit, quod homo, si esuriat, edat, quod mem-
 bra eius, si dolore adficiantur, ei, qui infert, sese subtra-
 here nitantur; quo nihil esset ineptius: nisi vellemus ludere
 in vocabulo *legis*, quod hic, si vsquam, foret inconsul-
 tum. Ne quis mihi obiiciat, ius naturae sine eiusmodi prin-
 cipio non posse cogitari, sed adesse debere certam normam,
 ad quam omnes hominum actiones referri possint et exigi.
 Quid enim, quaeso, opus est hac norma, cum etiam sine
 ea homo ita agat, vt eum corporis animique natura agere
 iubet? Exsulant haec principia ex vero ac puro iure natu-
 rae et, vt alia multa, alteri illi iuri naturae mixto d) deberi
 viden-

d) Nolo hic plura de hoc discrimine satis noto commemorare. Suffi-
 ciat dixisse, me ius naturae mixtum dicere id, in quo plura, quam
 quae quidem nouit ius naturae purum, ex legibus ciuilibus, politi-
 ca et philosophia morali immiscuntur, quodque plerumque in libris
 de iure naturae scriptis solet tradi, modo haud prorsus, vt mihi vi-
 detur,

videntur. Quid? quod ne sufficiunt quidem ista principia omnibus hominum iuribus et obligationibus probandis, quae tamen una esse causa videtur, cur fuerint inuenta, ut nimirum singula iuris naturae capita ad ea reducerentur, si hoc fieri non posset, traherentur et raperentur. Quotum-
detur, spernendo et iis, utique proficuo, qui simul cum iuris naturae doctrina haurire etiam volunt prima elementa et in primis terminos, quos vocant, technicos reliquorum iurium, et ad ea per ius naturae sibi viam munire; verum ita tamen, ut eorum fallatur exspectatio, qui sub iuris naturae inscriptione expectant philosophicam iurium et obligationum contemplationem, ex hominis natura, nec aliunde, desuntam. Ceterum mihi haud displicet ictorum Romanorum distinctio iuris naturae et iuris gentium (pr. §. I. L de iure nat. gent. et ciu. L. I. §. 3. 4. 2. de insuffia et iure) toties illa irrita a recentioribus et, tamquam Stoae commentum, explosa. Quid si enim suo iure naturae intellexerint nostrum ius naturae purum, iure gentium, quod hominibus proprium et apud omnes gentes peraeque custodiri aint, ius istud naturae mixtum? Illud definitum esse id, quod natura omnia animalia docuit. Haud inconcinne, ut mihi quidem videtur. Namque etiam in animalia utique cadit ius naturae, quoad eorum vires patientur ac facultates. Docet enim v. c. Si quis te adoriaritur, resiste. Hoc homines docet, hoc et animalia. Quod haec nihil norunt e. g. de pacis cert. hoc

C



quodque enim eorum est, ex quo possit primarium illud iuri
ris naturae caput demonstrari, quod pacta sint seruanda?
Videas, quomodo sese hic torqueant. Vnum tantum asse-
ram. Sunt, qui dicant, si quis quid alteri promiserit, simul
ac verba, quibus se praestitum ait, pronunciauerit, vide-
ri eum quasi rem alteri promissam non amplius possidere sed
illi iam vere dedisse censendum esse; idem ergo esse, detine
quis quid alteri, an daturum se promittat. Satis ingeniose
dictum, fateor, ac speciose, sed ita tamen, ut rem cura-
tius perpendens assentiri non possim. Nam quid est, quae-
so, istud: Quasi videtur dedisse? Quid aliud, quam com-
mentum ad pactorum fidem demonstrandam inuentum, quia
aliter eam demonstrari non posse putamus, verum ex inge-
nio depromptum, non, ut par erat, ex hominis reique na-
tura. Cur non sic potius dicamus? Hominis ratio est eius
natu-

ipsorum facultates non patiuntur humanis tantopere inferiores et
cum iis vix comparanda. At, quantum possunt, sequuntur et no-
strum ius naturae. An a nostra dignitate, cui tam lubenter plus
iusto tribuere solemus, alienum putamus, quod ius naturae cum
animalibus commune habeamus? Hoc esset creatorem repre-
hendere. Totam rem deiorum iudicio relinqu. Mihi eam at-
tingisse sufficiat.

naturae, ut simul ac cum aliis viuere incipiat, videat et experientia doceatur, ullam inter ipsos societatem subsistere non posse, nisi, quocunque unus alteri promiserit, id praestet. Facit itaque id quod faciendum est homini sine legibus viuenti, id nempe, quod iustum esse persuasus est, et pacta seruat.

§. 6.

Sed reuertor tandem in viam, a qua video me paullum deflexisse: cuius vero rei veniam me impetraturum spero apud eos, qui norunt, et quam difficile sit in hisce rebus modum seruare, ut iusto neque plura dicas neque pauciora; et quam necessarium etiam fuerit, ut de legislationis causis expositurus praemitterem primum nonnulla de homine ipso eiusque statu, in quo legibus vti videtur quidem, at vere non vtitur. Nunc de eo videamus hominum statu, vbi leges in eos cadere possunt. In naturali quidem, quem modo attigimus, statu homines, quando de iusto et in iusto quaeritur, ita agere vidimus, ut nullam certam satis que tutam sequantur agendi normam, sed in singulis causis id faciant, quod iustum esse arbitrentur: verum vidi mus etiam eos non modo saepenumero aliter, quam sensus

C 2

inter-



internus iubet, agere, sed et interdum, quae est humanae rationis imbecillitas, id iustum existimare, quod vere iustum non est, atque ita contra humani generis felicitatem agere; sic tamen interdum, ut nulla ipsis culpa possit impunari e). Non possunt non hoc nosse etiam et perspicere ii, qui

e) Alia omnia fere, quod ad illam, de qua saepius iam locutus sum, humani iudicij in iusto iniustoque recte dignoscendo fragilitatem et inconstitiam attingit, docere videtur CICERO de Legg. L. 1. Cap. 7. et passim, qui quidem, si de tanto viro quidquam iudicare velle fas est, nimium humanae rationi videtur tribuere: quod tamen vix alter euenire posse puto, si cui de eo, quod nostra ratio hac in vita necessario imperfecta esse debeat, cum alia ipsam maneat, in qua demum ad summum perfectionis fastigium sit euenienda, non certo satis ac liquido conster: constare autem ita ne Ciceroni quidem potuit religionis quippe diuinatus traditae lumine, quod, si in ylla alia, in hac certe de animi immortalitate doctrina vere ac recte explicanda, omnino necessarium duco, destituto. Atque si etiam cum Cicerone aliisque multis sumamus, humanam rationem talem, qualem natura nobis dedit, rectam iustum iniustumque discernendi viam optime nosse; hoc tamen negare non possumus, eam innumeris modis ab ista via posse seduci illumque iusti et iniusti sensum supprimi ac fere extingui. Idem vero utrinque erit effectus. Utrinque enim homo in iusto et iniusto definiendo errabit, siue quid iustum et iniustum sit, non recte

qui sapientiores sunt de populo ac prudentiores. Intelligunt nimis primum adeo incertam esse ac variam inter homines, praesertim hebetiores, quorum tamen complures esse constat, iusti iniustique notionem, ut vel ex errore in illo obserando, hoc fugiendo delinquant; deinde tantam etiam esse quorundam malitiam et prauitatem, ut ruant per omne nefas et ceterorum iura laedant; a quibus si quis sua tueri aut ablata recuperare velit, nihil aliud superest, quam vindicta et bellum, quod quum praeter necessaria multa etiam alia mala secum ferat, turbulentus et inquietus inde necessario emergit hominum status ac proinde ab ipsorum felicitate longe alienus. Quod ita, nec aliter, euenire posse, et ratio docet et exempla demonstrant ferarum ac barbararum gentium, quae nullis legibus reguntur, quas mutuis iisque perpetuis bellis lacerari et confici constat. Qui

C 3

bus

recte didicerit, sive didicerit quidem ab initio, post autem dedidicerit. Vtrumcunque igitur verum sit, humana ratio absque legibus ciuilibus ad adsequendam summam humani generis felicitatem, quam vt consequamur, omni modo studendum est, sufficere non poterit, sed ciuitate opus erit et legislatione; qua de re mox plura dicendi locus erit.



bus rationibus moti ii, qui status naturalis incommoda;
ciuilis vero commoda valent perspicere, legislationis con-
stituendae consilia capiunt, operamque dant, vt et reliquis
de istius instituti utilitate et necessitate persuadeant.

§. 7.

ad ipso Ast praeuideo futuros esse, qui obiciant, prudentiores quidem de status ciuilis emolumenis persuasos, lubentissime, naturali derelicto, ciuitatis legem esse accepturos, contra ea cum stupidiores, qui commoda, quae secum fert ciuitas, perspicere haud valent, tum malignos improbos que, quorum adeo refert, vt maxime inquieta et turbulenta sint omnia, ciuitatis conditionem esse recusaturos. Licet vero ciuitas adeo aegre ferre non possit, si hi societatem ciuilem ingredi detrectent, vt potius omnem curam iis ab illa remouendis impendere debeat: neque tamen minus reipublicae interest, vt ne illi, quibus illiberalius ingenium est, se ciuitati subtrahant. Etenim oportet quidem esse in ea alios, qui ingenio, sapientia, consilio eam regant; alios, qui artibus bonisque literis ciues imbuant aliisque operis liberalibus eos adiuuent: verum oportet etiam esse, qui illiberaliores operas reliquis praestent. Ad has subeundas

ad ipsorum adhi-

❧

adhibentur ii, quos minor ingenii vis a grauioribus negotiis
in ciuitate gerendis arcet. Ea autem, quae ipsis curae
sunt, negotia licet minus, quam reliquorum, splendida,
aeque tamen necessaria sunt; et, nisi et his bene prospicia-
tur, tota ciuitas corruit aut potius plane cogitari non
potest. Si igitur eos e ciuitate demas, sapientiores tantum
supererunt et prudentiores. Proh miseram ciuitatem, cu-
ius omnes ciues sunt philosophi! Dudum hoc obseruatum
fuit ac cuius elucet. Vnum tantum, quanquam necesse non
erat scriptorum locis hoc confirmare, afferam Hallerum f),
qui totam rem uno eoque pereleganti versu expressit ita ca-
nens:

Der Staaten schlechtester ist der von eitel Weisen.

At qua ratione hebetiores isti parumque intelligentes, ut
ciuitatis vinculo sese submittant, commouendi? Num co-
gendi? Quod negant plerique, qui omnibus libertatem et
aequalitatem innatam esse contendunt. Superest itaque, ut
et hoc dubium semouendi periculum faciam.

§. 8.

f) *Ueber den Ursprung des Webs.* p. m. 152. cf. qui ibi laudatur, de
MAVFERTVIS.



§. 8.

Vix equidem opus esse puto vlla via ut coactione, vt homines statu naturali, quem et libertatis naturalis statum vocant, relicto ciuitatem ingrediantur; siquidem ea, quibus haec prae illo sese commendat, commoda plurima et insignia tam manifesta sint, vt omnibus, etiam iis, qui tardioris sunt ingenii, eluceant. Profecto enim status iste naturalis hominum naturae et felicitati minime videtur conuenire, quippe in quo maxima humani ingenii pars, atque variae, quibus instructus est, corporis animique dotes quasi in cultae iacent neque vim suam fatis exserere possunt g). At propterea sane non datae sunt homini, vt eas negligat, atque adeo sibi vix earum conscius sit, sed potius, vt eas omni modo excolat exseratque. Optime vero hoc fieri

poteſt

g) Eleganter WIELANDVS (*in den Beyträgen zur geheimen Geschichte des menschlichen Verstandes und Herzens. Leipzig 1770*) notissimum philosophi Genevensis libellum (*sur l'origine de l'inégalité parmi les hommes*) oppugnans istum statum naturalem cum pueritia comparat, vbi inter alia sic scribit (T. II. pag. 164): „Wer erinnert sich „nicht mit Vergnügen an die schuldlosen Freuden seines kindischen Alters? Aber wer wollte darum ewig Kind seyn? Die Menschen sind nicht „dazu gemacht Kinder zu bleiben cet.”

= = = = =

potest in ciuitate legislatione munita. Ibi enim laudis studio alioue modo homines ad artes literasque colendas excitan-
tur; ibi principes exstant et proceres, qui liberalioris esse
solent ingenii, honestiore quippe educatione, quae in hoc
genere omnia efficit, ad quandam animi magnitudinem for-
mati, quique ideo artes literasque fouent promouentque.
Quum igitur naturalis ista libertas tam parum proficia sit ho-
minibus neque ab iis expertenda: tantum abest, ut homines,
etiam stupidiores, ea, quibus gaudet ciuitas, commoda non
intelligent, ut potius vltro ad eam amplectendam incitentur;
adeo ut illa, quam supra proposui, quaestio vix solutione
egere videatur.

§. 9.

Nec verendum est, ne innatae aequalitatis conscientia
homines a ciuitate ineunda retineantur. Tantum enim ab-
est, ut ista aequalitas naturalis omni dubio careat h), ut
potius doctrinae subtilitate introducta magis in abstracto, ut
aiunt,

h) Neque soli mihi ea videtur suspecta. Nuper enim Criticus Göttingensis, anonymous quidem, sed, nisi omnia me fallunt, vir celeb-
ritus et summae auditoratis, in Ephemerid. liter. Gotting. A. 1781.
mens. Febr. super nouissimo ill. Hoepfneri, quem de iure naturae
scripsit, libello differens, aequalitatem naturalem ait neuti-
quam axioma esse, sed rem valde difficilis probationis.

D



aiunt, quam in concreto existere videatur; quum natura ipsa hominem statim a natuitate in nexum quendam inaequalem constituerit. Nam quum recens nati ea sit condicio, ut sine aliorum auxilio viuere nequeat, infantesque non tam exercitato gaudente ingenio, ut ipsi bona a malis, proficia a noxiis discernere valeant adeoque educatione egeant, ea vero sine imperio quodam cogitari non possit; Deus ab ipsa natuitate hominibus necessitatem fese aliis subiiciendi impo-
suisse videtur: quam subiectionem filialem et societatem inter parentes et liberos inaequalem per ipsam natuitatem introductam plurimi philosophorum, inter quos vnum Achenwallum i) nominasse sufficiat, agnoscunt. Deinde ex eo quoque, quod Deus omnibus easdem animi dotes easdemque corporis vires non tribuit, aequalitas naturalis valde dubia redditur. Iis enim, qui praestantioribus animi ingeniisque dotibus sunt instructi, quum praे aliis tardioris ingenii et humilioris animi hominibus facultate gaudent cognoscendi, quid humano generi conducat, et quid, ut obtineatur summus ille, ob quem viuunt homines, finis, faciendum, incumbit, ut reliquorum imbecillitati succurrant, et, quomodo mores emolliendi hominumque felicitas augenda, doceant et praescribant. Contra ea vero illis, qui hebetioris sunt ingenii,

i) In Iure Nat. Lib. II. Sect. II. Tit. 2.

genii, nec ipsi satis, quid ipsorum commodis inferuiat, intelligunt, natura necessitatem videtur imposuisse, ut prudenterum consiliis se regi patientur. Illorum itaque arbitrio hi in suis actionibus dirigendis mediisque ad felicitatem suam idoneis eligendis sese submittunt, ab illis exspectant iudicium et normam, quid faciendum sit, quidque omittendum. Quemadmodum vero homines, quum se in illo statu naturali ad eum felicitatis gradum, quem pro natura consequi debebant, difficulter peruenire posse inteligerent, lubentissime ciuitatis vinculo se subiecerunt; ita legibus quoque, sine quibus, vt inter omnes constat, nulla societas existere potest, cuique reipublicae propriis non potuerunt non se submittere. Supersedeo autem plura aut de eo, quod res publica sine legibus non consistat, aut de ciuium obligatione prouinciae leges obseruandi proferre, quum, qui in ea re a me dissentiat, sciam me habere neminem. Nescio vero, vtrum hoc adhuc monendum sit, vim ac potestatem legum ferendarum pro variis, quae sensim inuenta sunt, imperiorum generibus, modo vni personae, modo pluribus fuisse concessam.

§. 10.

Postquam de legislationis origine quaedam exposui; de eiusdem ipsarumque legum natura iam paucis videamus, in quo, vt inscriptioni quodammodo tractatio respondeat, al-

D 2

teria



tera versabitur huius exercitationis particula, eo succinctior,
quo plura ad eam spectantia in priore iam praeripi et debe-
bant et commode poterant. Quum igitur homines suo
ipsorum tantum commissi iudicio saepe iniuste agant siue ex
culpa, siue citra culpam, semper tamen ita, ut humanae fe-
licitatis summa, quae augeri quoquis modo debet, minuatur:
legislatores omnibus, quibus praediti sunt, licet imperfe-
ctis, ingenii viribus id agunt, ut certas quasdam inueniant
agendi normas seu leges, quas si vbique et semper homines
sequantur, optime fere semper et totius ciuitatis et per hoc
singulorum felicitati consultum iri arbitrantur. Fere semper,
inquam; nam pro eo, qui nunc est, humanae rationis modulo
nulla lex cogitari potest tam perfecta, vt non singulæ inter-
dum obueniant causæ, que exceptiones ab ea faciendas
suadeant. Quo rariores autem eiusmodi exceptiones pote-
runt euenire, eo perfectior lex erit dicenda. Nec mirum,
interdum a lege generali discessum fieri, quum in legislatione
ad ea tantum respiciatur, quae plerumque fieri solent; quae
tamen ipsæ præsumtiones in singulis speciebus applicari sae-
penumero non possunt. Nihilo tamen minus verae sunt istæ
præsumtiones nec paucae quaedam exceptiones de earum
veritate aut iustitia quidquam detrahunt. Has itaque leges in
omnibus, quae faciunt, ante oculos habere iisque suas actio-
nes

nes accommodare ciues tenentur. Id autem minime curat neque curare debet legislator, num ciues, quandocunque secundum legum praecepta agant, etiam persuasi semper futuri sint, has leges esse iustas et se vere iuste agere; sed quum praeuideat, fore, ut lex in plurimis speciebus felicitati publicae sit proficia, ad istud neutiquam attendit, quod interdum ab ea discedendi et secundum aequitatis potius monita, quam scriptum ius nonnulla decidendi necessitas euenire possit. Nouit scilicet, hoc aliter non ferre humanam imbecillitatem, et satius tamen esse legibus imperfectis vti, quam plane nullis. Ex quibus omnibus apparet, leges esse nihil aliud, quam humanae imbecillitatis documenta luculentissima eiusdemque adminicula; in quibus ferendis hoc agitur, ut duorum malorum eligatur minus, h.e.vt, quam homines legibus carentes non possint non saepissime male et iniuste agere, iubeantur agere secundum certam normam, quae saluti publicae conseruandae quam saepissime et plerumque inseruit, et per quam eam laedi non nisi rarissime potest euenire.

Atque haec erant, quae de legislationis origine et natura exponere constitueram: in quibus, etsi non vasti erant, quos mihi signaueram, limites, sed tales, quos et huius libelli et mei

D 3 ipsius,



ipsius, etiam temporis angustiae putabam idoneos; attamen ne sic quidem me omnia ea dixisse sentio, quae dici poterant, fortasse etiam debebant. Saepe enim id sedulo mihi cui endum fuit, ne meditationi plus iusto indulgens plura, quam quae instituti ratio permetteret, scriberem: atque hoc ipsum vereri me iubet, ne hoc vitium fugiens in alterum, obscuritatis nimis, inciderim: sicut nec in hoc, ut ingenue fateor, me ictum modum seruasse mihi satis conscientius sum, quod non interdum vterius, quam debuisse, sim euagatus. Quanquam autem hic libellus ab initio tantum, ut scriberetur aliquid, fuerit scriptus, nec in eo esse quidquam sperem, ex quo ullius hominis doctrina incrementa capere possit: hoc tamen optare fas sit, ut inueniantur in eo saltem quaedam, quae possint aliis me doctioribus et intelligentioribus occasionem praebere super iis, de quibus scripsi, vteriora ac meis meliora meditandi atque ita nouas forte inueniendae veritatis vias ostendendi. Si vero nonnunquam quaedam, leviter tamen modo projecta, adspersi, quae ab instituto meo aliena videri possent; id forte huius ipsius voti causa, quod fateor me subinde ante oculos habuisse, accidit: cui si vlo vsquam modo satisfactum videro, tum demum a me impetrare potero, ut huic libello quidquam pretii statuendum esse arbitrer.

NOBL-

NOBILISSIMO ET ORNATISSIMO

A V C T O R I

S. P. D.

P R A E S E S.

Talem **TIBI** redbo libellum de legislationis origine
et natura conscriptum, qualem abs **TE** acceperam, nul-
la litura distinc*tum*. Etsi enim in nonnullis abs **TE** dif-
sentiam, meque, nisi praefidem elegiſſes, grauem aduer-
ſarium habiturus eſſes, nonnulla quoque velim explicatiuſ
eſſe proposita: attamen nec ob temporis angustiam adde-
re multa aut demere potui, nec ne aliena potius, quam
abs **TE** elaborata in publicum proferre videreris, muta-
re quid volui. Ex hac liberali profiſſione mea lectores ju-
dicabunt, ne minimam quidem libelli **TVI** partem ad me
pertinere, **TE**que eo maiori iure nomen auctoris, quod
alii iniuria affectant, **TIBI** vindicare. Gratulor **TIBI**
hoc primum eruditionis ſpecimen, atque ut mox **TVAE**
diligentiae atque virtutis praemia reportes, exopto. Cae-
terum non attinet **TE** rogare, ut et in posterum me **TVI**
studioſiſſimum mutuo amore complectaris, nihil enim vide-
rem,



rem, nisi ex eo, quod, cum libellum **TVVM** ex moribus
Academiae solus defendere et propugnare non posse, me
huius defensionis socium elegeris, ad amicitiae **TVAE**,
quam magni facio, perpetuitatem certissime concludere
vellem. Quemadmodum vero eo nomine vehementer mihi
gratulor, ita vicissim spondeo, planeque in me recipio,
me nunquam passurum esse, ut amici fide atque erga **TE**
studio ab aliis vincar. Vale.

Scripsi e manu a. d. 9. Maii


CICERO CCLXXXI.

Leipzig, Diss., 1781

ULB Halle
005 361 443

3





4319. 1781, 4.
DE
LEGISLATIONIS
ORIGINE ET NATVRA
—
ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
CHRISTIANO GOTTLLOB EINERTO
I. V. D. ORDINISQVE TVM ICTORVM TVM SENATORII IN
HAC VRBE ASSESSORE
A. D. X. MAII cIcIcCCLXXXI
DISPV TABIT
AVCTOR
CHRISTIANVS IACOBVS EISENSTVCK
ANNABERGENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA